

eisdem nos totis viribus opponemus. Et ut suprascriptum est, voluntate nostra et dictorum consilii et comunis et mandato ac nostrum et ipsorum omnium nomine et in nostri et ipsorum animas iuravimus et iuramus ad sancta Dei euangelia, corporaliter tactis scripturis, attendere et observare ac contra in aliquo non venire. Et ad maiorem fidem et certitudinem perpetuam premissorum predicta in hac carta conscribi fecimus per infrascriptum notarium et cancelarium nostrum et nostri generalium dominorum, iudicum et rectorum et comunis sigillis pendentibus comuniari.

Dat. in palatio Laudensi, anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo vigesimo octavo, indictione undecima, die Mercurii sextodecimo mensis Marcii, imperii dicti domini nostri anno primo.

(S. N.) Ego Robertus Villanus notarius^a publicus et cancelarius predictorum generalium dominorum, iudicum et rectorum et comunis voluntate et mandato eorum predicta scripsi et me subscripsi cum meo consueto signo^b.

Fünf Siegel an blauen Hanffäden, alle auf der Vorderseite mit weichem Papier überzogen.

LIV. Die Stadt Vercelli wie in n. LII. 1328 März 16.

Or. Hausarchiv n. 188.

Nos Milanus de Becaria potestas, Ricardus de Ticionibus miles, sapientes et comune civitatis Vercellarum et consilium eiusdem presentibus profiteamur | et ad universorum notitiam volumus pervenire, nos promisisse et promittere inclito principi domino Ludovico Dei gratia Romanorum imperatori semper augusto et magistro Henrico Hausnario eiusdem domini imperatoris notario pro ipso domino imperatore et ipsius nomine, quod si dominus Galeaz Vicecomes relaxatus fuerit per dictum dominum imperatorem vel eius nomine, ordinamentis contractuum habitorem pro ipso contraiverit et fidem dicto domino nostro imperatori non servaverit, nullum eidem domino Galeaz fratribus vel filio contra dictum dominum nostrum imperatorem vel civitatem Mediolani^c conferemus auxilium, consilium vel favorem, sed dictum dominum nostrum imperatorem adiuvabimus contra eos et eisdem totis viribus nos opponemus. Et ut scriptum est, voluntate nostra et dicti consilii et comunis et mandato omnium ipsorum et nostrorum^d animam iuramus et iuravimus ad sancta Dei evangelia, corporaliter

a) 'notarius' Or. b) Aus 'signati' corr. c) 'Mli' Or. d) So Or.